Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Legenda Aurea - Cod. Aug. perg. 256

Jacobus <de Voragine>

[S.l.], [14. Jahrh.]

De ieiuniis quttuor temporum

urn:nbn:de:bsz:31-66161

Visual Library

unde probatur quoniam tunc illi quia illi statim quoniam egressi sunt celebrauerunt pascha. sic et nos imitantes eos hoc tempore ieiunamus ut de egipto et babilonia .i. hoc mundo tandem exire mereamur ingredi ierusalem. Tercia causa est quoniam feruor libidinis in tempore ueris magis solet nos accendere. Ut ergo refrenemus corporis estum in hoc tempore maxime ieiunamus. Quarta est quia statim post ieiunium debemus corpus domini recipere. sicut filii israel postquam comedebant agnum se affligebant et comedebant agrestes lactucas et amaras. Ita nos debemus per penitentiam prius affligi. ut digne valeamus comedere agnum uite.

De ieiuniis iiii.or temporum.

Ieiunia quatuor temporum a kalixto papa instituta sunt. Fiunt autem hec ieiunia quater in anno. secundum .iiii. tempora ipsius anni. et hec est ratio. Prima est quia uer est calidum et humidum. Estas calida et sicca. autumpnus frigidus et siccus. hyemps frigida et humida. Ieiunamus ergo in uere ut noxium amorem .i. luxuriam in nobis temperemus. In estate ut noxium calorem .i. auariciam in nobis castigemus. In autumpno ut castigemus ariditatem superbie. In hyeme ut castigemus frigus infidelitatis et malicie. Secunda ratio est quia quater in anno ieiunamus. quoniam prima hec ieiunia fiunt in marcio .s. in prima septimana .xl. ut in nobis marcescant uicia. Non .n. omnino possumus extinguere. ut putredo in nobis uiuentium omnia oriantur. In estate fiunt scilicet in septimana penthecostes. quia tunc uenit spiritus sanctus. et nos debemus esse feruentes in spiritu sancto. In septembre fiunt tria ieiunia ante festum sancti mychaelis. quando fructus colliguntur. Et nos debemus reddere fructus bonorum operum. In decembri fiunt .iiii. ieiunia quoniam tunc herbe moriuntur et nos debemus mortificari mundo. Tercia ratio est ut imitemur iudeos. Iudei quidem quater in anno ieiunabant. ante pascha. ante penthecosten. ante scenophegiam .i. ante fixionem tabernaculi. in septembre. et ante enceniam .i. dedicationem in decembre. Quarta ratio est quoniam homo constat ex quatuor elementis quantum ad corpus et tribus potentiis .s. rationabili. concupiscibili. et irascibili quantum ad animam. Ut ergo hec moderentur in nobis quater in anno per tres dies ieiunamus. ut quaternarius referatur ad corpus. ternarius uero ad animam. Et has rationes sumit magister io. beleth. Quinta ratio est quoniam ut dicit io. damascenus. in uere augmentatur sanguis. in estate colera. In autumpno melancolia. In hyeme flegma. Ieiunamus ergo in uere. ut in nobis debilitetur sanguis concupiscentie et inepte leticie. Sanguineus enim est libidinosus et letus. In estate ut debilitetur colera iracundie et fallacie. Colericus .n. naturaliter est iracundus et fallax. In autumpno ut tepescat melancolia cupiditatis et tristicie. Melancolicus .n. naturaliter est cupidus et tristis. In hyeme ut debilitetur flegma libidinis et pigricie. Nam flegmatici naturaliter sunt hebetes et pigri. Sexta ratio est quia uer comparatur aeri. Estas igni. Autumpnus terre. hyemps aque. Ieiunamus ergo in uere ut in nobis edometur aer elationis et superbie. In estate ut edometur ignis cupiditatis et auaricie. In autumpno ut edometur terra frigiditatis et tenebre ignorancie. In hyeme ut edometur aqua inconstancie et leuitatis. Septima ratio est quia uer refertur ad pueritiam. estas ad adolescentiam. au

cipit ad maturitatem sive iuventutem esta-
te, hyems tempus usque ad senectutem. Ieiu-
namus ergo in vere ut simus puri per innocen-
ciam. In estate ut efficiamur ardentes per
constanciam. In autumpno ut efficiamur
maturi per modestiam. In hyeme ut effi-
ciamur senes per prudentiam et hones-
tam vitam. Vel ideo ut satisfaciamus quia
quod per illas IIII etates offendimus.
Octava ratio est magistri Wilhelmi
altisiodorensis. Ideo enim in IIII anni tempori-
bus ieiunamus ut in illis IIII temporibus de-
linquentiam emendemus. Et fiunt per tres
dies ut satisfaciamus in die quod de-
linquimus in mense. Et fiunt in IIII feria quia
tunc dominus Iude traditus fuit. In VI-
quia tunc deus crucifixus fuit. In sabbato quia
tunc in sepulchro iacuit et quasi tristes erant
apostoli de morte sui domini. De sancto Ignacio
Ignacius dicitur quasi ignem paciens vetioic
divini amoris. Ignacius fuit disci-
pulus sancti Iohannis et episcopus Anthiochenus.
Hic epistolam ad beatam virginem scripsis-
se legitur in hunc modum. Christifere Marie
suus Ignacius. Me neophitum Iohannis-
que tui discipulum confortare et consola-
ri debueras. De Ihesu enim tuo percepi mi-
ra dictu et stupefactus sum ex auditu.
A te autem que semper fuisti ei familiaris et con-
iuncta et secretorum eius conscia desidero
ex animo fieri certior ex auditu. Valeas
et neophiti qui mecum sunt ex te et per te et
in te confortentur. Beata autem virgo
dei genitrix Maria in hunc modum sibi rescri-
bit. Ignacio dilecto et condiscipulo humilis
ancilla Ihesu. De Ihesu que a Iohanne au-
disti et didicisti vera sunt. Illa credas, illis in-
hereas et christianitatis votum firmiter teneas
et mores et vitam voto conformes. Ve-
niam autem una cum Iohanne te et qui tecum sunt visi-
tatura. Sta et viriliter age in fide, nec te commove-
at persecucionis austeritas, sed valeat
et exultet spiritus tuus in deo salutari. Tan-
te autem auctoritatis beatus Ignacius extitit
quod et Dyonisius Pauli apostoli discipulus qui fuit
in philosophia tam summus, in divina sciencia tam perfectus, q-
uibus beati Ignacii ad confirmationem dicto-
rum suorum tanquam pro auctoritate adducit.
Cum enim, ut ipse in libro de divinis nominibus
attestatur, quidam nomen amoris in divinis no-
minibus reprehenderent dicentes non esse nomen
amoris sed dilectionis. Volens ostendere
hoc nomen amoris ponendum in divinis esse
uerus autem scribit autem divus Ignacius.
Amor meus crucifixus est. Legitur in Tripartita hy-
storia. Quod Ignacius audivit angelos can-
tantes antiphonas super montem quendam
et exinde instituit ut in ecclesia cantarentur
et psalmi secundum antiphonas intonarentur. Cum
igitur beatus Ignacius diu pro pace ecclesie domino
exorasset, non suum sed periculum in minoribus ue-
rens, Traiano imperatori qui cepit anno
domini c. de victoria redeunti et christianis
omnibus mortem minanti occurrit et li-
bere se christianum esse asseruit. Tunc Traianus
ferro ipsum vinctum x militibus tradidit
et Romam adducere precepit. Minans eum
quod traderetur ibidem bestiis devorandus.
Cum igitur Romam duceretur ad omnes ecclesias epistolas
destinabat et eas in fide Christi confirmabat.
Inter quas Romanis scripsit ad romanam
ecclesiam, sicut legitur in ecclesiastica hystoria.
Rogans ne sibi martirium impediant. Di-
cit enim: A Syria usque ad Romam cum bestiis
terra marique depugno die ac nocte
connexus et colligatus x leopardis mili-
tibus dico ad custodiam datis, qui ex bene-
ficiis nostris seviores fiunt. Sed ego eorum ne-
quiciis magis erudior. O salutares
bestie que preparantur michi. Quando venient, quan-

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg